IACOBI ANTONII FRUIN,

ORATIO

DE

PRIVATI IURIS NOSTRI CODICIBUS ASSIDUE CORRIGENDIS ET SUPPLENDIS:

HABITA TRAIECTI AD RHENUM A. D. XXIII M. MARTII A. MDCCCLXVI,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

TRAIECTI AD RHENUM,
Apud I. L. BEIJERS,
MDCCCLXVI.

ORATIO.

IACOBI ANTONII FRUIN,

ORATIO

DE

PRIVATI IURIS NOSTRI CODICIBUS ASSIDUE CORRIGENDIS ET SUPPLENDIS:

HABITA TRAIECTI AD RHENUM A. D. XXIII M. MARTII
A. MDCCCLXVI,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

TRAIECTI AD RHENUM,
Apud I. L. BEIJERS,
MDCCCLXVI.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI CURATORUM COLLEGIO ABACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

QUI VEL PROVINCIAE VEL CIVITATI REGUNDAE ET IURI TUENDO PRAEESTIS, MAGISTRATUS GRAVISSIMI!

ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

CIVES ACADEMICI, BONARUM ARTIUM STUDIOSI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, QUI AD HANC SOLEMNITATEM CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Feretur semper et memorabitur, quae secundo huius saeculi decennio in Germania et alibi orta est inter Iureconsultos, dissensio de condendis aut non condendis, quibus omne ius privatum conscriberetur, legum codicibus. Huius tamen dissensionis originem et varios eventus enarrare mihi hoc tempore non est propositum.

Apud nostrates si non diremta, at certe iam dudum sublata est. Nam et in plerisque Europae civitatibus et in patria nostra qui scripti iuris causam agebant superiores evaserunt, et suadentibus illis conscripti sunt Codices, quibus iam utimur per triginta fere annos.

Quod quum ita sit, ipsam de qua olim certatum est quaestionem ad examen revocare et, quasi re integra, in utramque partem retractare supervacaneum mihi videtur et otiosum. Etenim qui celeberrimus habetur scriptorum Codicum adversarius, Savignius, ipse confessus est, ex ipsorum, postquam semel vigere coeperint, abrogatione maiora etiam oritura esse incommoda quam quae ex eorum institutione oritura arbitratus fuerat. Accedit quod talis apud nos est reipublicae status, ut etiamsi inter omnes constaret, pristinam iuris nostri conditionem ea quae hodie obtinet longe fuisse praestantiorem, eius tamen instaurationi tot tantaque obstarent impedimenta, ut de ea ne cogitari quidem posset.

Praestat igitur, Auditores, acquiescere in factis, quae infecta fieri nequeunt, et aequo animo inquirere in rationes, quibus effici possit, ut incommoda, quae ex Codicum confectione aut iam orta sint aut porro oritura videantur, si non tollantur at minuantur certe et temperentur. Ac mihi quidem saepenumero permirum videri solet, hanc rem, qua nullam scio et graviorem et Iureconsultorum lucubrationibus dignio-

rem esse, ab omnibus fere negligi et contemni. Cuncta quae legibus nostris vitiosa insunt et inepta quotidie fere recenseri audias et exagitari; de iis tollendis ne cogitatur quidem. Affirmare equidem non ausim, legislatorem, tunc cum Codices nostros conficeret, observavisse semper illud Aristotelis, summam diligentiam adhibendam esse in legibus recte ponendis, nec tamen dubito quin nunc assentiatur eidem philosopho addenti, ubi semel positae sint, iis esse standum. Quod mihi non tam incuriae et socordiae imputandum videtur, quam potius inde explicandum, quod Codicum naturam indolemque non adeo omnes bene perspectum habent. Meyerus quidem noster et caeteri conscribendi iuris patroni non tam imbecilli erant ingenio, ut post confectos Codices legislatorem sibi pulcrum et beatum videri sempiternoque otio quiescere posse putarent. Putabant illi et docebant, ne optimas quidem leges ita esse plene cumulateque perfectas, ut nihil in iis immutari, nihil iis aut detrahi aut adiici oporteret. Quinimo perpetua et quotidiana fere opus esse emendatione saepius ostenderunt. Verum ex nostrorum hominum memoria iam dudum hoc abiisse mihi videtur. Aut enim confitentur quidem, necessariam aliquando fore repetitam Codicum praelectionem, sed quoties quaerimus, quando tandem rei futurum sit initium, tempus nondum venisse respondent. Aut in plane diversam abeunt sententiam, et quod nos a legislatore petimus auxilium, non nisi a

iuris interprete praestari posse contendunt. Facta est quidem ante hos paucos annos repetita legis Iudiciariae praelectio, et novae nuper ad Ordines latae sunt rogationes de methodo procedendi in causis tum civilibus tum criminalibus. Sed qui maxime ius privatum spectant Codices, Civilis et Mercatorius, per omne quod viguerunt tempus nulla fere in parte mutati sunt.

Quae legislatoris negligentia quum mihi videatur perniciosissima, quum omnia, quae Savignius ex Codicum confectione oritura praedixit, incommoda et nunc iam sentiantur, et, nisi quam primum iis occurratur, in diem futura sint maiora, nullo in argumento meam commodius orationem versari posse arbitror, quam si quid praesens iuris conditio a legislatore flagitare mihi videatur pro virium modulo exponam. Dicam igitur de *Privati Iuris nostri Codicibus assidue corrigendis et supplendis.* Argumento tam ubere et late patente ut, ne vobis molestus fiam, brevitati studeam necesse sit. Quod me facturum omni asseveratione Vobis confirmo. Nam etiamsi hoc consequerer, quod certo non consequar, ut quibusdam Vestrum dicendo placerem, iisque igitur nimis brevis esse viderer, multo tamen suavius est, id quod Mureto assentior, abeuntes dicere: cur hic tam cito desiit? quam abire cupientes: quando tandem hic desinet?

Argumentum, quo in primis usus est Savignius

ad refellendas eorum sententias, qui ante hos quinquaginta annos generales conficiendos esse iuris privati Codices in Germania clamitabant, petitum est ex temporum ratione, arduo huic operi minime idonea. Ad hoc videlicet perficiendum, etiamsi nihil aliud ageret legislator nisi ut diffusa dissipataque iura cogeret inque unum legum corpus redigeret, mascula demum et solida iurisprudentia tuto procedi posse ostendit. Sic et omnibus semper Iureconsultis et Baconi quoque visum fuit, qui „optandum esse" dixerat, „ut legum instauratio illis susciperetur temporibus, quae antiquioribus, quorum acta tractarent et opera, literis et rerum cognitione praestarent." Ea autem tempora, ineunte hoc saeculo, nondum venisse Germaniae non solum affirmavit verum etiam probavit Savignius. Nec vero nostrae tunc patriae advenerant. Tristem temporis illius in Germania iuris civilis conditionem, a Savignio demonstratam, contemplantibus nobis sponte in mentem venit illud: mutato nomine de te fabula narratur. Neque enim tunc apud nos scientia iuris superiora tempora superabat, verum deminuta et quasi de qualicunque gradu, quo antea fuit, iacebat delapsa. Nec si Kemperum et unum et alterum praeterea excipias, reperisses Iureconsultos, quibus, etiamsi aetas illa rei conficiendae magis fuisset idonea, universa legum descriptio mandari tuto potuisset. At aetas ipsa non favebat sed contraria magis erat legum descriptioni. Vetus ius patrium, inducto

iure Francico, et progressione carebat et explicatione destituebatur, et ne ita quidem ut oportebat dignum habebatur cognitione. Ius Francicum, recens inductum, non radices egerat neque aut usu aut scientia satis comprehendebatur. Accedebat quod de ipsa, quam in conficiendis Codicibus sequerentur, ratione ab initio inter legislatores non constabat. Batavi Codices volebant vere patrios, non quidem a Napoleonticis omnino diversos, sed patrios tamen et patriis moribus congruos. Belgae contra aliam sententiam propugnabant. Nimirum idem volebant quod antea Ludovico regi placuerat, Codices patria quidem lingua conscriptos, revera tamen Francicos et ad Napoleonticarum legum imaginem expressos. Et videbatur quidem prior sententia superare, verum, si id quod factum est spectamus, voti compotes fuerunt eius adversarii. Postea enim quam Belgae a Batavis separati sunt, facta est quidem latorum Codicum repetita praelectio, et dicebatur ea demum adaptanda esse moribus nostris, et, ab omni exterorum labe immunis, vere fore Batava. At qui tum confectus est Codex Iuris Civilis huiusmodi est, ut potius appellandus sit nova Codicis Napoleontici editio. Auctiorem tamen et emendatiorem editionem appellandam esse haud facile affirmaverim. Iam obmutuerat vox Kemperi, iam exemplum illius et adhortatio in oblivionem abierat: qui quidem quum anno huius saeculi sexto decimo et iterum vicesimo opus condidisset, eruditius fortasse

quam ad communem utilitatem necesse erat, at tamen et eruditum et utile et omnino praeclarum, frustra laborasse et locutus inania videbatur. Viginti quinque anni disputando et haesitando, nihil decernendo, nihil constituendo, in omnibus rebus paciscendo et transigendo transacti sunt. Qui postquam transacti sunt, opus prodiit, non tantum eo quod Kemperus proposuerat longe inferius, verum mea quidem sententia etiam Francico Codici postponendum. Nec de Codice Mercatorio meliora esse iudicia possunt. Est quidem fortasse melior Codice Civili, praestat etiam aliquo modo Codici Francico, ad cuius exemplar compositus est. Quodsi vero talem quaerimus qualem esse oportebat, etiamsi eum non exigimus ad verae utilitatis et perfectae cuiusdam legis exemplar, sed si comparamus eum cum eo Codice, qui ante hos paucos annos in Germania constitutus est, nostro tunc Codici et ad iurisprudentiam et ad usum permulta deesse apparebit.

Nolite, Auditores, hoc de Codicibus nostris iudicium nimis severum arbitrari. Verum illud esse docet quotidie experientia; nec mihi difficile est certis ad comprobandum argumentis uti. Nam primum in singulis Codicum titulis multae sunt definitiones, quae non indignationem tantum verum etiam risum interpretibus movere solent. Reperias praecepta, quae legislator sumsit ex legibus Francicis, verbum de verbo sibi exprimere visus, at documenta daturus, quanta

praeditus esset linguae illius ignorantia, ex qua leges in nostram linguam transferebat. Alia ex Francicis desumta exemplis apud nos et ratione et usu carent, quia derivantur ex placitis iuris, quae in Francia valent et apud nos ignorantur. Vultisne exemplum huius incuriae dicam an stultitiae? Inspicite articulum Codicis Civilis [1]), quo quum agatur de Obligationibus dividuis, distinguitur inter heredes, ad quos defuncti possessio quasi iuncta descendit, et illos, quibus possessionem petere necesse est. Optime hoc discrimen ponitur in Francico Codice, ridiculum vero est iure nostro, quo nulla talis heredum distinctio est.

Sunt huius generis incuria referti Codices nostri. Sed haec quidem parva esse existimemus et missa faciamus. Maiores esse reprehendendi causas dolendum sed non silendum est. Sunt in legibus nostris tota capita, omnium peritorum consensu tam prave constituta ut peius constitui non potuerint. Quid enim de eo Codicis Civilis titulo iudicandum est, in quo doctrina de Possessione exponitur? Qui totus rudis instar indigestaeque molis est, ineptissimorum praeceptorum farrago. Atqui is titulus scriptus est postquam Savignius opere immortali eam iuris materiam illustravit, et promulgatus scilicet postquam Florentius Adrianus Hallius nihil in eo vel

[1]) Art. 1335.

bene constitutum vel bene descriptum esse ostendit! Quod universe de Possessione iudicavit Leyserus, impeditissimum et spississimis obvolutum tenebris esse iuris argumentum, id rectius de nostro titulo affirmes. Scatet enim, si quis alius, legibus inter se repugnantibus, partim ex Romano, partim ex vetere Francico iure sine ulla ratione conflatis, quarum ex repugnantia efficere concordiam frustra laborant interpretes, ita ut saepe in re desperata exclament: Davus ego sum, non Oedipus. Utque aliud exemplum sumamus: quid iudicandum est de iure Obligationum dividuarum et individuarum, quod in Codice nostro ita confuse, ita sine ulla ratione tractatum est, ut vere dicatur Labyrinthus, quem ne Molinaeus quidem se extricare posse polliceretur? Sunt denique per totum Codicem sine ordine dispersa praecepta de negotiis, quae propter aliquem iuris defectum habenda sunt irrita et inutilia, tam obscura omnia et inter se contraria, ut irritos et inutiles reddant omnes Iureconsultorum interpretandi conatus. Quodsi porro animum advertimus ad Codicem Mercatorium, idem plane praebetur spectaculum vel potius eaedem praebentur tenebrae. In Iure Cambiali ignoratur adhuc, an ullam rationem legislator secutus sit, aut, si secutus est, quae sit illa ratio. De cambio falso frustra conatus certas proponere regulas, iudicium permisit arbitrio iudicis. Tantam ergo confessus est legislator suam ipse sapientiam, ut quod ipse nesciret, id iudicem diceret scire oportere. As-

signatio quid sit secundum legem nostram, nondum vel Iureconsultus aliquis vel mercator intellexit. Et de vindicatione mercatoria quid plura dicam? Quot quantas quam incredibiles lites illa peperit! Nam ubivis in ea repugnantia est inter ius Romanum de dominio et ius Germanum quo definitur: Mobilia non habere sequelam.

Satis multa exempla attuli, ut nec iniquum nec nimis severum de legibus nostris meum iudicium esse videatur, utque Savignio assentiamur, tempus illud, quo perlatae sunt, non fuisse tanto operi idoneum. Verum adhuc dixi de iis institutis, quae quum essent male posita, erant in legibus posita tamen. Alia vero instituta, quorum constitutio in legibus requiritur, ne posita quidem sunt sed plane praetermissa. Codicibus nostris tam multa desunt, ut plura vix deesse possint. Neque nunc id volo, in nonnullis satis bene scriptis legibus interdum deesse quaedam, quae idonee suppleri per analogiam possint. Verum tota capita iuris privati praetermissa sunt. Novistis doctrinam de Universitatibus: eas autem duplices scimus omnes, alteras personarum, quae a recentioribus corpora moralia dici solent, alteras rerum, etiam pias causas appellatas. Ne legislator quidem duplex hoc genus universitatum esse ignoravit, id quod ex eo apparet, quod de universitatibus personarum leges scripsit; universitates vero rerum nomine quidem et verbo in transitu attigit, sed quales habendae sint et quomodo regi debeant et

administrari, nec descripsit ulla lege nec definivit. Quae negligentia eo minus ei videtur condonanda, quod in Specimine anni huius saeculi vicesimi Kemperus diligenter exposuit discrimen, quod inter utrumque intercedit universitatum genus. In doctrina de Statutis Realibus res immobiles tantum tractantur; de mobilibus nulla fit mentio, et tamen hac nostra aetate, quae ipsa non est immobilis, res mobiles haud parvi sunt momenti. Actiones et exceptiones alto silentio legislator praeteriit. Celeberrima vero, quae inter Iuris interpretes agitari solet, quaestio, utrum ea quae temporalia sunt ad agendum perpetua necne sint ad excipiendum, in uno tantum actionum genere definitur, in reliquis omnibus siletur. Singula persequi longum est, verum quis est, cui non incredibile videatur, gravissimum, qui est de Obligatione Naturali, iuris locum ita prorsus a legislatore esse neglectum, ut semel tantum id vocabulum usurpet, nihil definiens? Et in Codice Mercatorio non minus multa vel potius plura desunt, quae deesse non oportebat. Compara eum cum Codice eo, quem nuper Germani confecerunt, in quo multa egregie pertractantur, mandatum mercatorium, actio institoria, emtio venditio, alia, de quibus in nostro ne mentio quidem ulla reperitur.

Atque in legibus nostris quum tam multa sint male tractata aut neglecta prorsus, accedit alia reprehensio, quae est in orationis compositione. Ornatum et nescio quam elegantiam legislator respuat, at legum scriptio

concinnitatem certe desiderat et perspicuitatem. Ut omnis oratio, ita lex constat verbis, et habent verba suam significationem. At in delectu verborum nostri homines ita negligentes fuerunt, ut saepenumero eandem rem diverso modo aut eodem modo diversas res expresserint. Atque interdum verba contrarium significant eius sententiae, quam exprimere voluit legislator. Magna, ut exemplo doceam, est quaestio, utrum peregrinum apud nos sua sequantur statuta personalia an status eius civilis nostris legibus subiectus sit. In qua quaestione definienda, haec una difficultas est: liceatne a lege, quae hac de re scripta est, decedere, propterea quod legislatorem aliud scripsisse, aliud voluisse aliunde constet. Nam huius quidem legis verba significare non id quod legislator voluit, sed quod noluit, tum ex aliis argumentis, tum ex legis historia luculenter apparet.

Et his tamen legibus, haud uno nomine vitiosis et imperfectis, ita usi sumus adhuc, ut multum profuisse videantur. Habuimus enim iudices et interpretes peritos, prudentes, cautos, consideratos. Potest sane prudens interpretatio multa legum vitia mitigare, idque nostra in patria revera fecisse dicenda est.

Verum ne nimium ab interprete speremus! Potest ille ex scripto aliquid supplere quod non scriptum sit; potest, si alterum praeceptum non conveniat alteri, non tollere quidem eam repugnantiam, sed tamen in-

commodum, quod ex ea nasci videatur, aliquo modo lenire. At malam legem bonam facere non potest. Ubi de legis sententia constat, adstrictus est legi interpres, quamvis prava ei videatur et iniqua. Scio quidem non semper hoc apud nos observari. His proximis maxime annis invaluit quoddam interpretandi genus, quod qui sequuntur sunt illi non interpretes sed emendatores et correctores legum nominandi. Neque enim quid scriptum sit unice quaerunt, sed quomodo id quod scriptum sit corrigendum esse videatur. Quod quidem remedium audeo dicere ipso malo esse peius. Nam hoc modo si grassari licebit, tot erunt legumlatores, quot erunt interpretes, ipsa lex tolletur de medio, invalescet quaevis iudicandi licentia, et pro una lege erunt tot sententiarum varietates, quot videbuntur his, quos dixi, interpretibus commodae. Veteribus iam persuasum fuit, iudicis arbitrio quam paucissima esse permittenda: hi vero omnia permittunt arbitrio iudicis. Atque hoc quum semper sit valde improbandum, apud nos quidem omnium minime ferri potest. Nam nemini nolenti mandatur iudicis officium, verum ab illis qui suscipiunt, id quod totidem verbis perscriptum est, postulatur, ut ius dicant secundum legem, sibique de legis aequitate iudicare non licere intelligant. Equidem non existimo interpretem legis esse servum scriptorum verborum. Legum scientia non mihi ea videtur, si quis verba earum teneat sed vim ac potestatem. Persuadeo mihi non oportere ius

civile calumniari nec verba captare, sed qua quid mente dictum sit animadvertere. Verum verba captare et verba pro nihilo putare, haec quidem nimium quantum inter se differunt. Recte quidem Baco illos reprehendit Iureconsultos, qui tam anxii et tenaces sint verborum, ut tamquam e vinculis sermocinentur. Verum multo maius malum ex omni verborum negligentia oritur. Reputent hoc illi secum, qui Codices scriptos esse volunt, qui iurisprudentiam Codicibus scriptis provehi cupiunt et emendari; reputent, et singulas leges et totos Codices constare verbis, et intelligant, neglectis verbis, negligi leges et Codices, et illam iurisprudentiam tolli, quam Codicibus et legibus fundari oportere existimant!

Quodsi vero, Auditores, Codicum nostrorum vitia interpretatione tolli non possunt, an idcirco ea vitia manebunt, nocebunt, et quodvis detrimentum facile tolerabitur? Num ita feremur,

fertur ut acta
Praecipiti pinus Borea, cui victa remisit
Frena suus rector, quam Dis votisque reliquit?

Certe iam, si haec valebit sententia, eam quaestionem, quam initio orationis commemoravi, ita diiudicabimus, ut assentiamur iis, qui nullos legum Codices condendos esse contendunt. Perfectas enim leges ne tum quidem scribi posse, quum iurisprudentia egre-

gie sit cumulateque exculta, quis dubitabit? Savignius quidem optandum esse non putavit, ut Codices conficerentur, bonos tamen confici posse non negavit. Tempore eo, quo ius Romanum floruerit maxime, ad legum institutionem tuto procedi potuisse iudicavit; Papinianum arbitratus est, Paulum, Ulpianum egregios, si voluissent, futuros fuisse legumlatores. Utrum igitur legibus eorum, si in usum abiissent, nihil umquam deesse apparuisset? an experientia docuisset, ibi quoque aliquid interdum reperiri vel vitiosum vel ineptum vel impediens potius quam adiuvans aequitatem? Certe, si quid apparuisset eiusmodi, id quod fieri necesse fuit, non continuo quodvis damnum interpretatione vel liberrima tolli potuisset. Verum id Romanis non tantum attulisset mali, quantum nostrarum legum vitia afferunt nobis. Stant suae populis laudes: cedat artibus Graeciae Latium, sed utilitatem rerum nulla gens mortalium intellexit magis. Non devicerunt orbem terrarum Romani nescio qua umbratili ac delicata sapientia; sed quid quovis tempore agendum esset intellexerunt, et rempublicam imperiumque habuerunt, non unius hominis vel aetatis opus, sed saeculorum. Eadem utilitatis et actionis intelligentia rexisset Codicum usum. Intellexerunt illi, quid esset ius, quid esset scripta lex. Ut habuerunt edicta Praetorum, semper ius tuentia et quotannis tamen ad utilitatem accomodata, ita, si Codices habuissent, eos suo tempore emendatione indigere intellexissent.

Quam emendationem quomodo effecissent, nunc nobis non propositum est investigare. Verum nostrarum legum emendationem requiri quum satis disputaverimus, iam quomodo ea fieri debeat, quaerendum est. At quid dico quaerendum esse id quod apparet? Ab interpretibus frustra auxilium et medelam peti intelligimus. Agite ergo. Leges dedit legislator: afferunt eae leges incommoda, auferat ea incommoda idem legislator, emendet ipse quae scripsit vitia. Sic omnibus semper visum est, qui legum Codices conficiendos esse putarunt, sic etiam nunc videtur exteris. Post conditos Codices Napoleonticos non fuit certa et constans in Francia rerum progressio, fuit tamen ad hunc usque diem constans legum emendatio. Neque aliter vel faciendum putarunt vel fecerunt Germani. Habent illi legem Cambialem, multo Codicibus nostris recentiorem; iam vero ea ad examen revocata et Novellis, quae dicuntur, Norimbergensibus aucta et amplificata est. Nostri vero homines legiferi bonis aliorum exemplis non commoventur. Meliora etsi videant deteriora sequi pergunt. Utimur nos Codicibus ante hos vigintiquinque amplius annos confectis, et ita quidem utimur, ut nihil fere per id omne tempus in iis immutatum sit. Nec tamen quid ipsa Codicum ratio ferat in incerto est. Omnes fere, qui aliquid in iis rebus sapere existimantur, emendationem ab ipso legislatore postulant. Quae igitur cessatio est? Eadem, Auditores, est cessandi causa, quae retardat apud nos

in rebus omnibus emendationem, quae efficit quoque ut Academiae nostrae premantur magis quam regantur institutis et legibus iam huic tempori non accomodatis. Quippe nostri homines aut cuncta aut nihil emendandum esse existimant; certas quasdam rerum partes emendare cummaxime verentur. Leges nostras nondum satis diu in usu fuisse dicunt ut iam nunc universa fiat earum emendatio; et nec iurisprudentiam satis excultam esse, necdum de omnibus rebus eum esse Iureconsultorum consensum, ut novi iam Codices feliciter condi possint. Quasi nos mehercule totos novos Codices flagitemus. Profecto, ei rei haec aetas non est idonea, et, si novas leges perfectas esse oportebit, nulla umquam aetas idonea erit. Multi anni, multa saecula praeteribunt, priusquam vel singula Codicum nostrorum vitia reperta et demonstrata erunt, vel omnes Iureconsulti de gravissima quaque quaestione inter se consenserint. O miseram nostram patriam, si propterea manere debebunt nec tolli poterunt ea legum vitia, quae iam nunc et intelliguntur et sentiuntur ab omnibus. Dixi modo quam vitiose definiantur iure nostro peregrinorum statuta personalia. Nec tantum de eo vitio, verum etiam de certa eius tollendi ratione una est omnium eademque sententia. Quae igitur causa esse potest, ut ea ineptae illius legis emendatio ad totam omnium legum emendationem, id est ad Kalendas Graecas, differatur? Quodsi nihil praeterea fieri potest, at illae tamen difficultates demi

et expelli possunt, quae ex obscura perplexaque legum descriptione oriuntur. Denique quidquid nunc bene fieri potest id iam fiat. Paucis contenti sumus. Intelligatur modo aliquid et emendari posse et emendari oportere: admoveatur manus operi. Semel facto initio non subsistetur continuo, sed ducibus experientia et scientia pedetentim gradatimque poterit ad meliora perveniri.

Quum vero disputatio nostra omnis in legum emendatione commendanda versetur, et in causa hoc maxime a nobis positum sit, leges nostras iam tum, quum scriberentur, vitia contraxisse, obiiciet forte mihi quispiam, eam emendandi necessitatem esse fortuitam, et esse eam apud nos, apud alios fortasse non esse. Quod si ita esset, nihil de mea sententia detraheretur: dico enim de legibus nostris emendandis, non de aliarum gentium legibus. Sed per se ipsa semper et ubivis emendatio necessaria erit. Perfectos enim legum Codices a mortalibus condi non posse et ego ostendi et nemo inficias ibit. Nimirum ea est humani generis imbecillitas, ut ne a summis quidem artificibus conficiatur opus, omnibus suis numeris et partibus expletum. Atque id si in aliis artibus verum est, certe maxime valet in legum ferendarum arte ardua magnaque et haud scio an una omnium maxima. Tot tantaeque enim in legislatore requiruntur ingenii dotes, tam ingens doctrinae copia diversissimarumque

rerum cognitio, ut ne praestantissimos quidem Iureconsultos immensae huic rei pares inveniri non est quod miremur.

Accedit alia et gravissima causa in ipsa iuris natura posita. Neque enim eo consilio scribi solent Codices, ut iura et leges, quibus exinde usura sit civitas, certa semel fiant et decreta, et vitae civilis negotia ad eorundem praeceptorum normam in perpetuum dirigantur. Fuerunt sane et adhuc sunt qui, hunc ipsum sibi finem proponentes, idcirco maxime conficiendos esse Codices clamitent, ut leges constituantur sempiternae et immortales, quibus in omne tempus valituris nec obrogari fas sit nec derogari liceat. Verum per eiusmodi somnia quum confundant iuris aeterni divinitatem et humanarum legum utilitatem, utramque subvertunt. Est quidem insitus in animis hominum immortalis iustitiae sensus, est sempiterna ratio a natura profecta, ad recte faciendum impellens et a delicto avocans: iura vero et leges pro temporum et gentium et rerum varietate alia sunt et flectantur oportet et varientur. Hoc ipsa flagitat iustitia, cuius praecipuum munus est ut in rebus omnibus ius aequum servetur. Aequum vero ius esse non potest, nisi cum moribus populi congruat: qui quum ipsi non sint stabiles, sed alii aliis temporibus et varii, ne ius quidem semper idem servabitur, at variabitur pro moribus. Hoc bene perspectum habuit S e x t u s C a e c i l i u s Iureconsultus, qui Favorino philosopho, obsoleta quaedam legis Decemvi-

ralis capita reprehendenti, verius quam ornatius haec respondisse fertur: Non profecto ignoras, legum opportunitates et medelas pro temporum moribus, et pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum praesentium rationibus, proque vitiorum quibus medendum est fervoribus, mutari atque flecti neque uno statu consistere; quin ut facies coeli et maris ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur. [1])

Quodsi igitur ipsa iuris ratio fert, ut non semper una atque eadem voce loquatur, si alia aliis temporibus conveniant instituta, a quo quaeso nisi a legislatore auxilium petas, ut obsoleta antiquentur, nova vero et utilia quae prodeant sanciantur firma auctoritate? Consuetudinis enim ius, cuius magna est et esse debet auctoritas, hac tamen qua nos vivimus aetate non tantum valet ut legem vincat. Quod apud Romanos rectissime receptum fuisse tradit Iulianus, ut leges non solum suffragio legislatoris sed etiam tacito omnium consensu per desuetudinem abrogarentur, id hodie, ut alias gentes taceam, a nostrarum legum proposito alienum est. Nec mea quidem sententia immerito. Fremant omnes licet, dicam quod sentio; parum suum iuris certi constituendi propositum adsequerentur legislatores, si Codicum praecepta quotidie fere in dubium vocari et per contrarios civium

---

[1]) Gellius XX, 1.

usus tolli denuo sisinerent. Quocirca non vituperandos equidem sed laudandos nostros homines censeo, quod in ipso Codicum prooemio Iuris consuetudinarii auctoritatem certis augustisque circumscripserunt finibus, et diserte praeceperunt, leges non sua ipsarum vetustate consenescere, sed nisi novis perlatis legibus non abrogari.

Hoc tamen praeceptum quum probem magnopere, ita demum probandum est, si cavet legislator ne leges consuetudini repugnent. Simul atque hoc fiet, mutari debebunt, ne populus pro legis reverentia evitationem legis sibi requirendam esse existimet. Rerum enim natura magistratuum decretis commutari non potest. Vetare possunt legislatores quominus consuetudini obediatur, obmutescere eam frustra iubebunt. Vox eius, oppressa licet, audietur tamen. Monebit, hortabitur, urgebit, instabit. Flectere si nequit superos Acheronta movebit, quas abrogare non valebit leges perruptura tandem et perfractura.

Qualis tunc sit rerum status futurus, omnium in oculis est. Luculentissimum exemplum praebet iuris mercatorii in patria nostra praesens conditio. Permulta huius iuris capita obsoleta atque ita ab hodiernae vitae necessitatibus aliena esse, ut in communi mercatorum odio versentur nemo est qui nesciat. Merito igitur exspectaveris, legislatores, re cognita, nihil habuisse antiquius, quam repetita illorum capitum praelectione mercaturae quam citissime possent auxilium ferre.

Quod ut factum sit tantum abest, ut per triginta fere annos ad adiuvandas res mercatorias nihil omnino fecerint. Hac legislatorum socordia dicam an pertinacia quae tandem facta sit iuris conditio haud facile quisquam crediderit. Omnia incerta sunt, omnia in dubium vocantur. Legibus enim ineptis et nostro tempori non consentaneis aut omnino non parent mercatores, aut ita parent, ut, salvis verbis, sententiam earum circumveniant. Unum et alterum exemplum afferre lubet. Pignus iure nostro non contrahitur nudo pacto, sed in magnis certe rebus scripturam requirit, et insinuationem in acta publica, quam ferre nullo modo potest celeriter conficiendarum et coniungendarum inter se actionum necessitas. Negligunt igitur et praetermittunt eam mercatores, et, aliud agentes, aliud simulantes, pangunt pro pignoribus emtiones venditiones, adiectis pactis de retrovendendo. Assecurationes nemo vel stipulatur vel promittit, quin polissa expressis verbis doceat, permulta legis praecepta non esse valitura. Quid multa? In toto fere iure mercatorio scriptae legi privatorum pacta derogare vides. Quodsi ex eo nihil aliud oriretur nisi ius incertum, dolendum tamen esset, id esse incertum quo nihil certius esse debeat. At mores, suntne hi negligendi? An legislator probitatem habebit pro nihilo, et nihil interesse putabit inter illam et improbitatem? Leges nostrae de debitorum obaeratorum patrimonii liquidatione nihil habent quod hominibus nostris

conveniat. Singula earum capita liquidationem non tantum retardant et impediunt, verum etiam, si iis obtemperatur, sumtus tam ingentes fiunt, ut creditores nihil fere accipiant, et si quid ex patrimonio restat, id publico aerario obtingat. Quid vero ex hac causa efficitur? Ut mercatores legem scriptam non scriptam esse existiment, et lege destituti semet ipsos adiuvent. Debitores, perinde ac si nec iudices essent nec iudicia, paciscuntur cum creditoribus, idque pactum, quamquam utrisque damnosum, semper tamen minus damnosum est quam legitimus creditorum concursus. Nolite existimare, Auditores, si communem reipublicae salutem spectes, hoc eodem redire. Etenim debitor obaeratus, si dolo malo usus est ideoque puniri debet, tunc demum reus esse potest, si iudicis sententia pronuntiatum est eum foro cessisse. Ita leges nostrae summam saepe impunitatem proponunt scelestissimis mortalium. At Ciceroni videbatur lex esse recti praeceptio pravique depulsio! Alterum exemplum afferam. Vetat lex nostra proxenetam mercaturam facere earum rerum quarum est proxeneta. Munus suscipiens, iureiurando se ei legi obstringit. Mox tamen intelligit fieri non posse ut fidem et iusiurandum servet. Mercatura enim his temporibus est eiusmodi, ut nemo proxeneta esse possit, nisi interdum suo marte emat aliquid et vendat. Ita ipsa lege cogitur commoda sua negligere aut peierare. Eram nuper in aliqua urbium nostrarum, et intereram proxe-

netarum concilio: omnes erant viri integrae famae et existimationis, omnes aperte confitebantur, si verba legis observanda essent, se esse periuros, et cum virili et generosa indignatione vehementer postulabant, ut tandem aliquando tolleretur ille scrupulus, illa conscientiae deceptio, quam legislator iusiurandum et Dei immortalis invocationem appellet. Quid quaeritis? Huiusmodi exempla iam certe dubitare vetant, quin leges nostrae emendatione indigeant.

An creditis, Auditores, interpretem his tantis malis mederi posse? Nolite hoc arbitrari. Certe non omnia a legislatore sperare oportet. Quodsi enim his temporibus frequens inter se hominum commercium quotidie fere nova negotia novasque conventiones parit, quorum ne nomina quidem iure civili prodita sunt, vel quorum certe, si iam prius fuerunt, ratio mutata prorsus est et mutatur, non a legislatore statim — id quod Goudsmitio nostro assentior — sed a iuris interprete auxilium petendum est. Huius enim officium est amplecti ea quae utilitate et aequitate se commendent, et radices agere coeperint; eorum quasi imperii sui potiri, investigare eorum cum constituto iure et tradito convenientiam, ex hac convenientia certas deducere regulas iisque quasi iuris signum imprimendo in systemate locum assignare. Sed ubi leges repugnant sententiae populi, non potest interpretatione ea repugnantia tolli. Quod nigrum est id interpretando non effeceris album. Et videmus in pa-

tria nostra quid inde oriatur. Pertinaciter emendationem legislator recusat, mercator ab interprete auxilium petit: hic torquendo flectendoque legis sententiam, quantum potest utilitati et necessitatibus subvenit. Sed ita lex elusa est, constantia iuris amissa et commercium hominum inter se impeditum. Neque enim omnes iudices et interpretes adduci facile possunt, ut legem, in quam iuraverunt, non scriptam esse existiment; atque hinc orta est iurisprudentia dubia et vacillans, factumque quod Baco pessimum exemplum appellavit ut curiae, quae pacem subditis praestent, inter se duella exerceant.

His rebus, quae iam ferendae non sunt, nemo nisi legislator finem facere potest. Caremus nos Praetoribus Romanis, qui Edictis suis ius civile adiuvabant, corrigebant, supplebant et vitae commerciique humani necessitatibus adaptabant. Omnia conanima hunc morem Romanum vel aliquid quod esset eius utilitati simile in civitates recentiores transferendi, caruerunt effectu. Anglorum curiae Censoriae, quarum erat officium curare, ut esset et maneret iuris et aequitatis inter se consensio, magnopere a Bacone commendatae, locum suum retinere non potuerunt et sensim paulatimque degeneraverunt. Quae acute excogitavit Schraderus non satis usui accomodata esse reperta sunt. Etiam Holtii nostri sententia, tribuendam esse Curiae Supremae potestatem legis supplendae, in Francia, ubi aliquo modo id factum est,

fructus non tulit et in patria nostra iam a nemine propugnatur.

Ferat ergo legislator opem quia solus id facere potest. Sed quomodo? Num in unoquoque Codice antea definietur certum tempus quo debeat ille retractari? num tota cunctarum legum emendatio post descripta intervalla perficietur? An vero fiet emendatio tum quum necessaria erit? Verum necessitas, Auditores, non certo ante tempore praevideri et praescribi potest. Iustitia ut imperet populo, leges debent servire moribus populi et verae eius saluti et utilitati. Iam vero mores non ut sylvae foliis pronos mutantur in annos, sed mutantur in dies. Simulatque apertum est legem repugnare utilitati, malum iam est exortum, quod igitur, ne vires acquirat eundo, continuo et quasi infanticidio Spartano opprimendum est. Eoque magis, quia, si quando fiet emendatio, non ea paucis diebus absolvetur: quo fieri poterit, ut rei initium faciens legislator legis et iuris aliquam repugnantiam tollat, verum ut finienti alia repugnantia sit apparitura. Ita foret quod poeta Germanus dicit, iurum legumque quasi sempiterni morbi esse hereditatem, et numquam aliquod ius existere quod nobiscum ipsis nascatur. Quae quum ita sint, perpetua tantum partium emendatio et expletio prodesse potest. Iam dudum in aliis regionibus haec sententia invaluit. Convertite oculos in Franciam et Belgium, comparate Codices mercatorios ibi scrip-

tos initio, cum praesentibus: mutati sunt ita, ut fere sint novi. Atque utinam aliquando in patria nostra bonum sequamur exemplum! Id quidem urgere et flagitare iam non officium est Iureconsultorum sed omnium omnino civium qui suam sibi patriam curae esse oportere existimant.

Et quid tandem civium voces efficient? Ex praeteritis annis parva spes futuri temporis oritur. Multi fuerunt Regii Ministri, inque iis homines eximia iuris scientia conspicui, qui non putandi sunt ignoravisse, quid a se propter ipsam Codicum conditionem postularetur. Imo fuerunt, qui ita sibi persuaderent, certas legum partes emendandas esse, ut operi manus admoverint. Latae aliquoties ad Ordines sunt rogationes de quibusdam iuris privati institutis vel ordinandis primum vel melius definiendis, velut de exteris mercatorum societatibus, de hypothecis, aliae. Sed singulae aut non sunt perlatae, aut ne in deliberationem quidem venerunt. Quo tristi exemplo deterriti sunt Ministri, relanguit illorum industria, iamque ipsa res videtur quiete somnoque sepulta.

Quae quidem consideranti mihi, Auditores, quaerendum esse visum est illud, an sint in patria nostra viri illi, quibus ab ipso populo electis mandata descriptio legum est, summae ignaviae accusandi; quaerendum esse visum est, an Batavorum progenies ita degeneraverit, ut quum illi Europae leges et foedera dederint, nunc iam prae socordia ius civile administrari et pacta mercatorum ordinari non possint. Non

credo, Auditores, verum ut legibus de iure civili et de iure mercatorio multa desunt, ita aliquid deesse credo institutionibus nostris, per quas emendatio ipsa legum facienda est. Regius Minister, innumeris negotiis obrutus, legum emendandarum initium facere non potest. Non certis enim temporibus emendandae sunt leges, sed, id quod demonstravimus, perpetuo et fere quotidie. Foret, si nihil praeterea ei agendum esset, hoc ipsum munus totius hominis, et vix hominis unius. Proponere mutationem necessariam, defendere scriptis, explicare oratione et commendare Ordinibus, nec parvi laboris est nec exigui temporis. Quod ni ita est, cedo causam, cur unum tantum et alterum apud nos legum corrigendarum conamen factum sit. Verum, etiamsi Regius Minister huic rei vacare posset, si satis otii haberet ut legum emendationi animum intenderet, tamen ab illo id nec iure postulari nec humaniter exspectari poterat. Requiritur in illo eloquentia vel certe diserta oratio, qua animos regere possit, requiritur gubernandae reipublicae peritia, sed usus forensis, scientia iuris, consuetudo quotidiana civium, peregrinorum, mercatorum requiruntur in illo, qui leges emendaturus sit. Credite mihi, aliud est reipublicae consulere et magna eius intelligere commoda, aliud parva cognovisse et minutis civium utilitatibus prospicere. Et tamen minutae illae utilitates magnae sunt!

Accedit quod ipsa reipublicae constitutio et Ordi-

num Generalium potestas, praeclara quamvis et maxime laudanda, Ministros impedit, quominus iura bene curent. Praesunt fere apud nos rebus illi, quorum tum maxime partibus favetur: ii legem rogaturi antea computare fere possunt suffragia illorum, qui earundem partium sunt; reliqui saepe adversantur. Nolite arbitrari, Auditores, me nimium dicere. Hoc ipso tempore non in iure privato sed in iure poenali exemplum videmus. Poena capitalis, legibus nostris retenta, plurimorum nostrorum hominum de iure sententiis ita nunc est contraria et repugnans, ut abrogandam esse eam et persuasum sit bene multis et censeant quoque Regii Ministri. Est haec profecto res, si qua alia, sine ira et studio consideranda et perpendenda. Et tamen si argumenta ponderes, quibus iam de ea disputatur, in hac quoque disputatione apud multos partium studium valere videas. Et quid in aliis rebus futurum est?

Quae quum ita sint — iam enim ad finem properanti mihi multa sunt praetermittenda — dicam aperte quod sentio. Quod apud exteros dudum sapientissimi viri commendaverunt, et apud nos Collega meus et amicus Opzoomerus magnopere suasit, ut id aliquando fiat necessitas postulat et urget. Iuris condendi et supplendi provincia certo alicui mandetur collegio legibus scribendis et emendandis. Legantur in hoc collegium illi qui et iuris scientia, et usu legum experientiaque forensi optime intelligant, quid et iuris et muta-

tae identidem commercii vitaeque rationes postulent. Hoc illi legislatori proponant. Quod quomodo facturi sint, et qualem in munere suo fungendo secuturi sint rationem, explorare non huius est loci. Paucissima tantum indicabo. Diligenter hoc, si quando instituetur collegium, attendere debebit ad iurisprudentiam Curiae Supremae et reliquorum iudicum; accurate cognoscere sententias et scripta Iureconsultorum, audire peritos et observare populum, quibus illi legibus opus sit explorare, et eas, adiuncto ad illustrandum commentario proponere Ordinibus. Praesit collegio Regius Minister, sive Rerum Iudicialium, seu potius ad hoc ipsum creatus Minister singularis, qui, a reliquis negotiis immunis, leges rogatas in Ordinum coetu explicet et defendat. Caetera quidem nunc praetermitto. At hoc unum addam. Emendationes eae, quae ab ipsis Ordinibus proponi solent, in his quidem legibus non admittantur nisi cautione certa et declinatione incuriae et levitatis.

Sic demum ad propositum perveniri poterit. Legum emendatio, quam necessariam esse scimus omnes, tunc demum et effici poterit et esse fructuosa, si mandabitur viris idoneis et peritis, qui nihil agant praeterea, et ita sint nullarum partium, ut propter partium studium eorum opus non repudietur, et quorum labor non pereat, si quando partium mutatur principatus, vel quoties propter qualemcumque causam aliis Ministris moderamen rerum permittitur. Hoc utinam fiat aliquan-

do! Permovere legislatores nec quiescere, priusquam id quod recte volumus fuerimus consecuti, debemus omnes, quotquot nostra et patriae interesse arbitramur, ut aequis ea legibus temperetur. Perficiat unusquisque nostrum quod potest. Ita demum cum bona spe exitus Codicum emendatio incipi poterit, tollentur e legibus vitia et explicabuntur iura, ut explicantur quotidie vitae necessitates et necessitudines hominum. Ita erit apud nos ius aequum. Ita quem ut Academiam hancce illustret enixe precamur, totam patriam illustrabit, Iustitiae Sol!

Ad alteram iam transeo officii partem, narrationem eorum, quae hoc anno Academiae nostrae evenerunt laeta et tristia. Quorum his illa plura esse grato animo agnoscimus.

Atque illud inprimis mihi laetandum iure esse video, quod Academiae Curatores salvi omnes et incolumes, aut nobis adsunt hodie, aut certe si qui absunt, non absunt propter tristes causas. Quod non Vestra tantum sed nostra quoque et Academiae gratia, cui prudenter et studiose consulere soletis, magnopere gaudemus, Viri Amplissimi! Quodsi enim aetatem pupillarem alma nostra Mater iam dudum excessit, et igitur secundum legem sua ipsa negotia tueri posse videtur,

non tamen idcirco provida Vestra cura carere posse putanda est. Atque utinam numquam ea careat! Quum vero boni Curatoris sit rem minoris non adiuvare tantum, verum etiam, si potest, augere, illud vel maxime a Vobis petimus, ut Academiae instrumenta et supellectilem augere pergatis. Quae enim nobis praesto sunt studiorum adiumenta et subsidia eiusmodi sunt, ut de iis quoque valeat, quod de legum nostrarum Codicibus valere dicebam, perpetua et assidua cura augeri ea debere et amplificari. Quod igitur ut Vos efficiatis, Viri Amplissimi, qua estis apud Regem Augustissimum gratia vehementer rogamus.

Nec minore, in Vos oculos convertens, afficior gaudio, coniunctissimi Collegae. O me Rectorem felicem, cui extremam muneris partem explenti triste parentandi officium praestandum sit nemini, qui Professorum ordinem animo perlustrans, nullum carum caput desiderem!

In hac mihi laeta cogitatione defixo, omnium prima subit Miquellii nostri imago, quem e morbo gravi et periculoso recreatum, et quasi e mediis Orci faucibus ereptum, patriae, disciplinis, discipulis redditum esse impense gaudemus. Absenti Collegae gratulari non possum; tota vero mente Academiae gratulor, quae tanto viro reviviscente, ipsa quoque reviviscere videtur. Quam irreparabilem eius obitu iacturam fecisset, enarrare non est meum: Consulem enim nisi

a Consule laudari non oportet. Hoc unum delibabo. In Miquellio quum et alia sint admirabilia, tum incomparabile fere in deligenda recte docendi ratione ac via iudicium semper elucet, in eademque aliis commonstranda indefessa voluntas. Sic factum est, ut quem colunt et suspiciunt collegae, eundem summo amore prosequantur discipuli. Quibus ut diu multumque prosit, det precibus nostris Deus!

Qui Miquellium cogitat, Te quoque cogitat, Cl. Mulder, et amicitia fideli et consociatis laudibus illi coniunctum. Omnibus Tu bonis plaudentibus quintum nuper Professionis lustrum peregisti, et ita quidem peregisti, ut qui ad summa nituntur nihil aliud cogitent nisi quomodo possint Tui quam simillimi evadere. Tu, Vir praestantissime, quem Chemiae in patria nostra patrem veneramur et principem, ad illud iam dudum pervenisti fastigium, ut nullum habeas, qui doctrinae fama et meritis Tecum in hoc genere contendat. Tibi, quod facimus, omnia fausta apprecantes, pro Academiae quoque salute vota facimus. Te enim duce, non Chemiae solum, in qua regnas, sed generale etiam illud studium florebit, quod nuper eleganter commendavisti.

Eandem quam Muldero, Tibi quoque felicitatem ex animi sententia gratulamur, Cl. Loncq. Eodem fere tempore Tu festum Tibi nobisque diem celebra-

visti, quo ante hos viginti quinque annos Medicinam publica auctoritate in hacce Academia tradere coepisti. Rarum profecto et singulare, Vir Amicissime, Tibi obtigit Dei beneficium. Tu scilicet, qui prima ab infantia tenui fuisti valetudine, nunc, provectiore iam aetate, non vivis solum, sed ita vivis, ut longam Tibi fore vitam et praesagiant medici et vehementer sperent omnes, quibus laus Medicinae Batavae curae et cordi est. Quibus utinam sua vota contingant! Faxit Deus ut per multos annos Academiam ornare, discipulis, quorum gratam Tibi voluntatem devinxisti, prodesse pergas!

Hoc Tibi quoque apprecamur, Cl. van Oosterzee, qui ante has paucas dierum hebdomades laetum illum diem recognovisti, quo cum Ecclesia Christiana et cum optima Tua Uxore binas iniisti nuptias. Utrique coniugi carus es, utrique diu serveris!

Laeta, quae Professoribus contigerunt, reputanti mihi non silendi sunt novi honores, in Te collati, Cl. Donders, quem Mexicanorum Imperatori Guadelupes Ordinis equitem creare placuit. Felicem Te praedico, quod praeclara Tua merita, mea laude longe maiora, in dies magis ab omnibus, civibus et exteris, subditis et principibus agnoscuntur. Feliciorem vero quod Tua Te virtus nobilitat. Id certo scimus, ingentem Tuam, quam totus terrarum orbis celebrat,

doctrinam interituram esse numquam, et ipso Maximiliani imperio mansuram esse stabiliorem.

Est etiam absentis non praetereunda sed celebranda cogitatio Viri, qui, quum iam pridem a nobis discesserit, eam tamen Sui memoriam reliquit, ut eum amore retinuerimus et semper nostrum esse arbitremur. Est ille Iohannes, Michaëlis, Franciscus Birnbaum, Magno Duci Hassorum Cancellarius et Consiliarius Intimus, qui quondam Academiam Rheno-Traiectinam ornavit, nunc Universitatem Ludovici, quae Giessae est, doctrina sua illustrat. Eximio huic Viro, die vicesimo nono mensis Augusti anni proximi summorum in utroque iure in Se collatorum honorum solemne semisaeculare celebranti, Senatus noster scriptis litteris gratulatus est. Respondens nuper, Vir Celeberrimus testatus est, tempus illud, quod in Academia nostra transegit, in vitae suae felicissimis partibus a Se censeri. Paucis tantum nostrum contigit, ut aut simul cum illo hic munere fungerentur aut praeclara eius institutione fruerentur. Ita tamen illum apud nos versatum esse scimus, ut omnes Tecum consenserimus, Cl. de Geer, qui gratus eius es discipulus, et ornata, ut soles, oratione ei precatus es, ut Summum ei Numen vitam viresque concederet, et longam vegetamque tribueret senectutem in amicorum, discipulorum veraeque doctrinae emolumentum.

Iam quae laeta erant oratione persecutus sum, eaque multa fuerunt. Verumtamen sors nostra humana est, neque igitur fieri potuit quin tristia acciderent. Et sunt mihi tam tristia commemoranda, ut eorum cogitatio animum vehementer commoveat.

Quid Tibi dicam, Cl. Brill, qui amantissima et praestantissima Conjuge orbatus es? Cognovimus nos eam; quibus virtutibus praedita esset, intelleximus; quanta Tu felicitatis Tuae parte et vero quanta Tui parte careas sentimus. Sed Tu, Vir Amicissime, eam quam luges non putas nullam aut nusquam esse. Haec Te cogitatio et liberorum Tuorum amor sustentet et consoletur!

Tuum dolorem, Cl. Vreede, retractando renovare nolim, sed talem, quali Tu orbatus es, filium silere impium foret. Aureis ille moribus quam carus Praeceptoribus fuerit et Commilitonibus, moerore funeris indicatum est. Verum Tu, Vir Optime, nec dolori nec animi perturbationi succumbere soles. Praeclari iuvenis ad tumulum quum staremus afflicti, tum Tua nos vox erexit et confirmavit, pia mente exclamantis: Deus dederat, Deus abstulit, Dei nomini grates agantur. Et discedentes nos illud tumulo elogium deberi existimavimus: Quem Deus diligit adolescens moritur.

Non unus, eheu, ereptus est Vobis, optimi Commilitones, Ferdinandus Vreede! Diem supremum

obierunt etiam Ianus van Bruggen, Theol. Cand. et Carolus Iohannes Schorer, Iuris Studiosus. Uterque adolescens optimae spei, uterque merito carissimus parentibus, praeceptoribus, amicis, flebilis obiit. Sustententur flentes a Deo, et Vos, Commilitones, et nos omnes, simus eorum memores, et bona quae reliquerunt exempla in utilitatem nostram convertamus.

Ad publica redeunti rursus mihi laeta commemoranda sunt. Neque enim facile quisquam omnium, qui litteris disciplinisque faveant, et meritis honorem deberi existiment, non magno gaudio et applausu Senatus nostri decreta cognovit, quibus honoris causa Chirurgiae Doctor creatus est Vir experientissimus Antonius Cornelius van Woerden, et summi in Philosophia Theoretica et Humanioribus Litteris honores collati sunt in Nicolaum Beets et Iulium Henricum Hisgen, Viros praestantissimos. Quae quidem decreta ita profecto honoris causam continebant, ut Viris illis omnino essent decori, verum non minus ex iis decoris in ipsam Academiam redundaret, quae illos ornando ipsam se ornavisse dicenda est.

Restat ut mihi breviter de supellectile Academiae dicendum esse videatur, eoque brevius quo accuratius de ea dixit Vir Clarissimus, cui in Academia regunda successi. Multa adhuc emendatione egere, multis adhuc multa deesse, et novimus omnes et iam appa-

ruit modo, quum, consentientibus omnibus, Curatores Amplissimos appellarem iisque eam curam commendarem. At aliquid tamen gradatim emendari hic annus ostendit. Bibliotheca et amplior et elegantior facta est. Iam superiore anno inceptum opus nunc ita perfectum est, ut satisfaciat omnibus, utque adeo homines faceti reperiantur, qui aedificium, in quo libri asserventur, locupletius esse dicant quam librorum, qui in eo asserventur, copiam. Verum ignorant illi, etiam in homine corpus celerius crescere et ad quandam pervenire perfectionem quam animum in corpore habitantem. Et nos quidem confidimus Curatoribus, qui quum corpus Bibliothecae iam perfecerint, quis animum ab iis neglectum iri credat?

In Museis, Laboratoriis Chemico et Anatomico, Collectibus Instrumentorum, Horto et Observatorio semper aliquid emendatur, semper aliquid iis additur, cerniturque in eo Batava illa virtus et prudentia: festinatio lenta.

Laboratorium Physiologicum aedificatur, Auditores, et aedificatur sedulo. Ante annum ex hoc loco praedictum est, nummos et commodorum locorum spatia non defutura esse in perpetuum. Expleta iam est illa praedictio. Habebit Dondersius noster aliquando Laboratorium, non tantum Ipsius nomine dignum — id quod parum Ille curat — verum in quod venientes ad Ipsum audiendum ex quibusvis terris peregrini honorifice de Academia nostra iudicare discant.

De Nosocomio incredibilia ad Vos fero at credenda tamen. Non praedixit anno proximo Rector fore Nosocomium, sed pie optavit. At ego praedico nos tandem id habituros esse, non ex augurio sed ex re certa et facto initio. Senatus Urbis nostrae rem nimis diu neglectam fuisse intellexit, et Nosocomium aedificari iussit, quod probaturus sit ipse Aesculapius. Pauca sunt quae opus remorantur. Sed superabuntur ea, et erit ille dies, quo, novum aedificium adspicientes, obruemus oblivione istud stabulum dicam an bovile, quod nunc Nosocomium appellatur.

Videtis igitur, Auditores, etiam in studiorum subsidiis aliquid effectum et profectum esse. Sed, iterum dico, nondum eo pervenimus quo perveniendum est. Quod numquam mihi luculentius apparuit, quam quum nuper Leidensis Academiae Rectorem de illius apparatu et supellectile querentem audirem. Quid tandem — ita mecum ipse reputabam — quid, Tune quereris, nobisque invides Laboratorium Physiologicum, quod nondum habemus? Tu, Rector Academiae, quae si cum nostra comparatur, dives et opulenta appellanda est? Qui aedes habes Academiae, regias dicendas, si conferuntur cum nostra modestia; librorum copiam et praestantiam, quantam vix alia? Tune quereris, quum Academiae Tuae ita faveant Reipublicae principes, ut quum adhuc moris fuisse videretur, ut uni apud vos Professori duo successores darentur, nunc quidem iam re-

ceptum esse videatur ut uni succedant tres? Quereris, et fortasse iure. Sed quis erit nostrarum querelarum finis et modus?

At non invidemus Academiae Leidensi, si multa habet: speramus etiam fore ut ei dentur ea, quae praeterea desiderat. Hoc tamen precamur, ut ne nostri aliqua exsistat oblivio, et ne negentur nobis ea, quae aequo iure rogare videmur, et quibus institutio nostra diutius carere non potest.

Sed magna consolatio est, posse etiam multis rebus carentem florere Academiam eam, in qua et doctores et discipuli pro sua utrique parte coniunctis viribus id quod possunt efficere conantur. Et magna equidem, hoc si cogito, afficior laetitia. Testor enim, Commilitones — Vos enim, Vos iam mea compellat oratio — testor, et omnium meorum Collegarum nomine testor, Vos hoc anno officiis Vestris optime esse perfunctos. Gratias Vobis agunt cuncti Professores, quod cum moribus bonis laudabilem coniunxistis in artium disciplinarumque studiis ardorem. Gratias ego Vobis ago, quod comitate Vestra et benevolentia fecistis, ut nulla mihi fuerit Rectionis molestia. Vehementer etiam laetor, eius quae ante fuit apud Vos duarum partium divisionis, postrema vestigia ita me Rectore deleta esse et evanuisse, ut etiam odium musicum, quod interdum Theologico odio implacabilius esse videas, extinctum sit, fuerintque iam non auribus

tantum nostris verum etiam animis iucundi Vestri concentus et iucunda harmonia. Pergite bene facere, Commilitones; Successori meo Vos tales praestate, quales Vos mihi praestitistis, et maneat Professorum et Studiosorum non concordia tantum, sed amicitia quoque ea, quam nuper adspexerunt *Musae*, quum Praeceptoribus et discipulis *requiescere* una *placeret.*

Dixi mihi Rectoris munus molestiis liberum fuisse. Huius rei Tu quoque magna pars fuisti, Cl. Doedes. Senatus acta quum curares, me etiam fideliter curavisti. Auxilium a te petenti numquam defuisti; imo vero sponte ad me venisti, ut mihi opem ferres. Felicem novum Rectorem praedico, quod habebit actuarium Tui similem!

Superest ut fasces Academiae tradam Successori, ab Augustissimo Rege mihi dato, Henrico Christiano Millies, Viro Clarissimo, quem igitur Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem Magnificum dico, renuntio, proclamo.

Accedas, Vir Clarissime, ad sedem Tibi destinatam.

Salve, Rector Magnifice, iterumque salve. In gravissimo munere feliciter gerendo propitius Tibi sit Deus Optimus Maximus. Sic te Rectore floreat Academia Rheno-Traiectina!

Typis J. van Boekhoven.